



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Quomodo alio artificio fructus inuisi generentur & meliores, & peiores.  
Cap. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

*Quomodo alio artificio fructus inuisi generentur & meliores, & peiores. CAP. VII.*

**I**NSITIONIS laudem, & præstantiam alibi longiori encomio profecuti sumus, hic dicere sufficiat, sola insitione posse novos fructus exoriri, & meliores, tum etiam peiores. Aliqua ab antiquis, & à nobis reperta memorabimus experimenta. Quid agendum

*vt castanea optima fiat.*

Non est omissenda raritas vnius exempli. Corellius eques Romanus Ateste genitus, inseruit castaneam suometipsam surculo in Neapolitano agro, sic facta est castanea, quæ ab eo nomen accepit inter laudatas. Postea hæres eiusdem libertus, Corellianam iterum inseruit: hæc est inter eas differentia, illa copiosior, hæc Corelliana melior. Hæc antiquitus facta sunt, & tanta est insitionis præstantia, vt suomet surculo insita arbori, semper præstantior euadat. Sic quoque cerasus maxime insitione delectatur, neque vnquam bonum, aut dulcent fructum dabit, nisi fuerit alteri arbori insita, ex Pampilo. Exemplo huiusmodi

*Oxyacantha fructus in tuberes mutare*

conati sumus, nec aliud puto oxyacantham, quam tuberum arborem siluis in eam degenerasse, vnde oxyacanthæ arborem si quis Corellij exemplo suomet surculo multoties insereret, in tuberum arborem mutari nam neglecta tuberum arbor, in oxyacantham abit. Nos nostris in viridarijs ter, quater suomet surculo inserimus, & nisi mors præueniet, tantisper inseremus, donec tuberes proferat, iam nunc & maiores, & dulciores affert. Nunc dicemus quæ alieno surculo inseruntur & simul vires, & formæ commiscuntur, & nouum nostris temporibus repertum

*Nucipersicum, ex nuce, & persico componere*

docebimus, hoc pacto. Genus est persicorum, nucipersicum nobis dictum, antiquis incognitum, quod insitionis diligentia in lucem productum non solum arbitrator, sed præcerto habeo: ab vtroque parente nomen, &

for-

formam contraxit, ex nuce scilicet & persico, ex nuce colorem habet herbaceum, cute nulla exterius lanugine pubescentem, & admodum leuem, succum asperum leniter subamarum, sero maturefcit, dura intus carne, forma persici: pars opposita Soli rubescit: odor eximius persici duram intus, & scabram nucem habens, qualem persicus, sapore iucundo, sed multo nuce fugacius pomum. Quod non alio modo euenisse putandum est, quam ex iterata infitione persici supra nucem: vel iam modo prædicto. Possumus & in alias arbores meliores inserendo fructus meliores reddere. Diophanes fecit

*Citromala ex mala & citrio composita:*

Nam malum in citrium inseruit, sæpiusque id fecit, & postquam natum fuit, emarcuit: loquitur autem de fructu. Sed ubi comprehendit arbor, citromalus appellatur. Anatolius, & Diophanes

*Melimela ex malo & cydonio*

composuerunt: nam si malum in cotoneum inseratur, fit ex cotoneo malum pulcherrimum vocatum apud Athenienses melimelum. Sed Plinius

*Miluiana ex cydonio & struthio*

misceri docuit, inquit: Cotonea strutheis insita suum genus fecere miluianum, quod sola ex his cruda manduntur. Diximus quomodo infitione meliora poma nascerentur, & sapores & formæ commiscerentur. Nunc quomodo infitione

*Fructus peiores euadant.*

Et à pyro incipiemus. M. Varro ait: Si in pyrum siluaticam inserueris, pyrum quamuis bonam, non fore pyrum tam iucundum, quam si in eam, quæ siluestris non sit. Si persicum in prunum inserueris, fructus magnitudine degenerabit, & si in amaram amygdalam inserueris, sentit gustus aliquid amaritudinis in fructu. Sic si castaneam in salicem inserueris, & si tardius maturatur, fit asperior in sapore. Malus etiam in prunum inseritur, sed degenerem & paruam reddit.